

Würdigung des Mittelalters beitragen. Wir sehen den weiteren Bänden mit reger Erwartung entgegen.

Steinbrück, Pr. Hannov.

Carl Grube.

1. Jules Guiffroy: Histoire de la Tapisserie

depuis le Moyen-âge jusqu' à nos jours. Tours, Mame, 1886, 1 in 4^o de VIII + 540 p. avec 4 Chromos et 113 autres planches en figures. Prix. broché 15 fr.

2. Edouard Garnier: Histoire de la Verrerie et de l' Emaillerie. Même librairie, in 4^o de VII + 574 pag. avec 3 Chromos et 119 autres planches en figures; même prix.

Aliquot abhinc annis consuescunt nominatissimi bibliopolae seu editores praesertim Parisini et Londinenses edere ineunte unoquoque anno libros, strenarum nomine decoratos, in quibus abundant ornamenta et laminae et imagines. Verum proh dolor! saepe saepius ii, quibus mandata est cura hos libros edendi, multum indulgent lectorum curiositati et delectationi; aliquoties tamen etiam primo loco scientiarum profectui et lectorum utilitati providere satagunt.

Quod feliciter hoc anno assecutus est D. Alfredus Mame, civis Turonensis, cuius typographiae fama aliunde iam ultra limites Europae propagata est. Etenim iste vir sapiens hodie in publicum edit triplicem Historiam nempe texturae tapetum, vitrariae et smalturae, quae lecturam tam pergratam quam proficuum praebit et de qua brevi hic agendum est.

I. Primo de arte texendi tapetes, (gallice Tapisserie).

Stromata seu tapetes procul dubio inter splendidissima artis decorativae specimina numerari debent eorumque historia tum religioni tum rebus profanis pluris interest. Nam si tapetibus decorantur aulae et palatia regum, domusque potentum ac divitum, iisdem quoque ac etiam praecipue ecclesiae et basilicae ornantur plurimusque splendor hoc modo affertur festis sacris et ecclesiasticis ceremoniis. Quo statu rerum operae pretium esse artis huiusmodi texere ordine chronologico tum initia tum progressus et vicissitudines facile intelligitur. Porro talis est scopus D. Julii Guiffroy, viri eruditissimi et clarissimi. Verumtamen ne in aliquem errorem involuntarie laberetur iste vir, veritatis studiosus, non ultra decimum quartum saeculum ascendit recensendo saecula praeterita ex eo quod licet in usu fuerint stromata apud antiquos et in primitiva Ecclesia, pauca sunt nihilominus et obscura documenta et testimonia de hoc usu tractantia. Eadem de causa tacet de usu tapetum apud orientales populos seu extra Europam. Aliunde, his saeculis et regionibus omissis, remanet adhuc auctori nostro arandus amplus ager feraxque seges colligenda: nempe quidquid celebre et fama dignum tapetum causa actum est in decursu sex saeculorum tum apud Gallos et Italos tum apud Alemannos et alios populos Europae. Primum locum tenet Gallia cum tapetibus Parisinis, Atrebatensibus et aliis, sed nec Alemannia nec ordinis Benedictini monasteria oblivioni dantur. Sic tapetes S Gereonis Coloniensis; Halberstadenses et Quedlinburgenses, de quorum aetate dubitatur, multum iure merito commendantur. Praegae circa medium decimi quarti saeculi exstabant favente Carolo Quarto tapetum fabricae celebres, item paulo post Norimbergae. Ineunte vero decimo sexto saeculo imperator Germanorum Carolus quintus plurimam opem dedit variisque modis adjuvit textores tapetum, inter quos computantur Monacenses, Levingenses etc.

Circa finem sequentis saeculi alii huius generis artifices Berolini steterunt multaque fama paulo post gavisii sunt. Hucusque de tapetibus. Nunc de vitraria pauca loquar.

II. Historia vitrariae.

D. Eduardus Garnier, cui iam debetur optima tractatio de arte figuli (gallice de la Ceramique) coniungit hodie in uno et eodem volumine docte et splendide ornato duplicem et historicam elucubrationem, nempe primam de arte faciendi vitreas (Gallice: Verrerie) et secundam de arte condendi smalta (Gallice: Emaillerie).

Quoad vitreas docet et ostendit eruditus auctor, eas notas et in usu fuisse ab antiquissimo tempore tum apud Aegyptios, Tyrios et Iudaeos, tum apud Graecos et Romanos. In medio vero aevo Veneta respublica primas in hac arte elaborandi partes habuit, deinde Francia circa saeculum decimum quintum claruit sed et alia regna Europae simul ac Persia et Japonia plurimos et mirabiles fructus in vitreis condendis retulerunt. Germania praecipuum post Venetos et Gallos locum obtinere meruit ob vitreas Bohemicas nuncupatas ex officinis Pragensibus eductas, tum ob vitreas pictas et smaltas Norimbergenses et alia, de quibus hic loqui defectu paginae supersedendum est.

III. De Smaltura.

De arte Smalta condendi historice tractaturus D. Garnier eandem ac in praecedenti tractatione amplectitur methodum: scilicet primum clare rem definit, deinde successive peragrat regiones et saecula, in quibus haec ars praecipue excolta fuit. Apud antiquos Aegyptii, Etrusci et Cetae smalta in usu saltem aliquo modo habuerunt. Post eversum vero imperium romanum eadem ars apud Byzantios asyllum habuit ibique a quinto ad undecimum saeculum et ultra mirifice floruit, ac praesertim decimo, quod licet apud nos tenebrosum et ignorantia plenum nuncupetur multo meliori fama apud Graecos gaudet. Eodem saeculo currente ars smalturae ex officinis Byzantinis ad Germanicas devenit ibique sedem praecipuam fixit per quatuor saecula et amplius. Deinde vero civitas Lemovicum apud Gallos eiusdem artis quasi hospes facta eius progressibus multipliciter favit. Haec ars similiter multum debet ordini S. Benedicti, ut testantur; smalta collecta a B. Desiderio Cassinensi primum abbate, et deinde Romano Pontifice sub appellatione Victoris tertii et ciborium Maihingense in Bavaria (?) etc. etc.

Sed haec sufficiant de Smaltura.

Addendum est relate ad hanc triplicem historiam, de qua brevis est hic sermo, quod laminae coloratae (Gallice chromès) et aliae imagines incisae seu pictae magno numero collectae ante oculos lectorum meliora, triplicis tapetum texturae, vitreae et smalturae artis, in diversis epochis specimina ponunt et evolvunt. Quae laminae, licet pulcherrimae sint et omni laude dignae, duae tamen vel tres in volumine tapetibus speciatim consecrato tales nuditates crude prae oculis exhibent, ut inhonestae fiant et sint meo iudicio resecandae.

Quoad vero typographiam nihil est, quod non sit prorsus laude dignum, candor et nitor papyri, characterum splendor et altera huiusmodi, in quibus iam a multis annis typi Turonenses Domni Mame nullis secundi videntur.

Hymni, Sequentiae et piae Cantiones in Regno Sueciae olim usitatae. — Sancti Sueciae.

Holmiae 1885 excudebant P. A. Norstedt et filii, typographi regii
S. VIII + 178. 16^o.

Eine mustergiltige Ausgabe, was Eleganz, Zweckmässigkeit und Genauigkeit anbelangt. Wir sind allerdings gewöhnt diese Eigenschaften jedem Buche, das aus G. E. Klemmings kundiger Hand kommt, beizulegen. Man sehe nur auf die Ausgabe der alten, in Schweden zu Stande gekommenen Gradualien in Facsimilen, welche vollkommen das Original ersetzen können. Doch das